

Hierin fehlten Nr. 1-3
am 10. 4. 1917 Suchier.

DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS MEDICA

DE

DIVERSISSIMA DYSPNOEAE
ORIGINE ET CVRATIONE

QVAM

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

IOH FRIDERICO CARTH^EV^SER

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. h. t. FAC. MED. DECANO

PRO GRAD^V DOCTORIS .

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVSET PRIVILEGIIS

RITE CAPESSENDIS

DIE NOVEMBRIS MDCCCLIII.


H. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SUBMITTET

FRANCISCVS AB HEYN,

LEOVALLENSIS SILESIVS.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,
ACAD. REG. TYPOGR.

26.
24

DE REIS A DISPOZITIO
CIVITATIS

1670

CONVENTUS GRATIOSAE RECOLATIONIS CIVI

1683102

HON. FRANCESCO CARLUCCIO

1683103

CONVENTUS GRATIOSAE RECOLATIONIS CIVI

1683104

CONVENTUS GRATIOSAE RECOLATIONIS CIVI

1683105

CONVENTUS GRATIOSAE RECOLATIONIS CIVI

1683106

CONVENTUS GRATIOSAE RECOLATIONIS CIVI

1683107

CONVENTUS GRATIOSAE RECOLATIONIS CIVI

1683108

CONVENTUS GRATIOSAE RECOLATIONIS CIVI

1683109

V I R O

*EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO*

D O M I N O

IOANNI ANTONIO VVLTER
DE LOEWENFELD

COMITI PALATINO, ET SACRI PALATINATVS

LATERANENSIVM EQVITI, ARTISQVE SALVTARIS

DOCTORI CELEBERRIMO

COGNATO SVO ATQVE FAVTORI

SYMMOPERE COLENDO,

A 2

DIS-

DISSERTATIONEM HANC IN AVGVRALEM

IN GRATI ANIMI SYMBOLVM

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA

OFFERT AC CONSECRAT

FRANCISCVS AB HEYN,

LEOVALLENSIS SILESIIVS.

DIS-



DISSE^TAT^O IN AVG^RALIS MEDICA.
DE
DIVERSISSIMA DYSPNOEAE ORIGINE
ET C^VRATIONE.

§. I.

Varia respirationis impedimenta, medicis practicis
apud ægrotantes obvia, sese non discre-
pante solum caussarum indole, sed vehe-
mentiae quoque gradu ab invicem distingvunt; hinc fa-
tum est, ut scriptores, posteriorem in primis differentiam
perpendentes, tres species genericas, *Dy^spneam* nempe,
Asthma, et *Orthopnæam*, quibus nonnulli adhuc quartam,

A 3

C^a-

Catarrhum videlicet suffocativum, jungunt, constituere consultum duxerint. Dyspnoea, striete ita nuncupata, infimum difficultis respirationis gradum denotat, ac modo cum tussi, modo sine illa, citraque ullam tamen rhonchorum ingeminationem, adfligit. Asthma, quod etiam Anhelatio dicitur, spirandi difficultas dyspnœa longe gravior est, suamque præsentiam, sive tussim sicciam aut humidam pedisse quam habeat, sive absque illa accedat, stertore maxime ac sibilo, quem patientes æque, atque adstantes audiunt, prodit; hinc versiculi memoriales:

*Dyspnœa se celat, canit qsthma, malumque revelat,
Exspirat late, trahit ad se cum gravitate.*

Orthopnœa binas præcedentes species vehementia rursus atque periculo superat, et tam gravis reperitur, ut eadem correpti non, nisi sedentes et erecta cervice, respirare valent. Catarrhus suffocativus denique tam vehemens est, tantaque atrocitate homines invadit, ut suffocatio constanter immineat, immo sæpius, nisi tempestiva et adæquata feratur medela, citissime superveniat.

§. I I.

Utilitate quidem distin^{tio} præmissa minime caret, credo nihilominus, singulas hasce difficultis seu plus minusve impeditæ respirationis species sub generali Dyspnœæ nomine comprehendendi, et, quoad aetiologiam non minus, quam curationem, eodem loco, eademque vice commode pertractari posse: Siquidem perinde esse videatur, an spirandi difficultas, a pituita v. g., eaque nunc tenuiori

niiori magisque solubili, nunc crassiori magisque tenaciora, stertorem sibilumque comites adducat, nec ne, quum ita omnino in casu utroque curatio dirigenda sit, ut mucida saburra, cellulas pulmonales, duftusque bronchiales ob-sidens, sufficienter resolvatur, resolutæ ejusdem genesis, novus affluxus, novusque decubitus in pulmonibus avertantur. Lucem diætis majorem tota, quæ sequitur, tractatio foenerabitur, eamque igitur, ne tempus superfluis recensendis impendiā, confessim adgrediar.

§. III.

Dyspnœa, in sensu lationi sumta, vel inspirationis, vel ex-inspirationis, vel utriusque leviorum aut graviorum læsionem supponit, ac primo statim loco in *Idiopathicam*, et *Symptomaticam* atque *consensualem* dividenda est. Idiopathicæ dicuntur, quando causa efficiens primaria in ipsis pulmonibus, cæterisque respirationis organis residet; Symptomatica vero, vel rectius, sympathica atque consensualis audit, quoties causa præcipua atque originalis in alia quadam parte, eaque fatis interdum remota, ventriculo v. g., intestinis, hepate, mesenterio, utero, vasis hemorrhoidalibus etc., latet, nec immediata igitur, sed saltim, ob nexum nervorum, membranarum, ac vasorum, mediata actione liberum ac regularem respirationis successum turbat.

§. IV.

Substratis generalioribus hisce, ad recensendas et explicandas diversissimas Dyspnœæ, tam idiopathicæ quam

quam symptomaticæ species descendat, et cum *Pituitosa*, quæ idiopathica, quæ frequens ac fatis subinde refractaria existit, exordiar. Proxime hæc ipsa a copiosa, crassa, atque tenaci materia mucida, fensim sensimque e sangvine et lympha secedente, cellulasque pulmonum, et ductus bronchiales magis minusve obstruente, oritur; hinc ordinario etiam tussis humida, cujus opus multum per intervalla sanguinæ mucidæ ejicitur, maleisque identidem minuitur, quin penitus haud raro tollitur, complicata reperitur. Ad generandam mucidam hanc impuritatem non alimenta solum acida rudiora, viscidæ, et concoctu difficultia apta sunt, sed cuncta pariter alia genesi ejus atque paullatinæ coacervationi magnopere favent, quæ liberum ac regularem transpirationis cutanæ, cæterarumque se- et excretionum successum pervertunt, et partium solidarum, maxime autem ventriculi atque pulmonum, tonum labefactant, utrūq. sunt aer frigidiusculo-aut tepido-humidus, gravior ac frequens corporis refrigeratio, tepida infusa et decocta aquæ, intemperantius hausta, itemque moeror, curæ, terror, iracundia, et hujus censu complura alia, quæ brevitati studens silentio prætermittam, et hoc unicum saltim addam, huic dyspnœæ speciei, ut et plerisque reliquis adfectibus pituitosis plerumque ventriculi imbecillitatem pravamque digestionem junctam deprehendi, adeoque multum interesse, ut praetonus sub dyspnœæ curatione de hujus quoque correctione sollicitus sit, et perennem hac ratione mali somnitio subtrahat.

missa

§. V.

§. V.

Relicta dyspnœa pituitosa, ad *Sanguineam* transeō, quæ modo idiopathica, modo symptomatica atque consensualis est, adeoque majorem etiam, quam species reliquæ, ambitum habet. *Sangvinea* adpellatur, quoniam causa principalis unice ad sanguinis in pulmonibus accumulationem, indeque nascentem cellularum, atque ductuum bronchialium coagulationem reddit. Origo præternaturalis hujus accumulationis multiplex est: Nunc enim eminentior plethora, non pulmonibus solum, sed toti pariter corpori molesta, et lautæ utplurimum diætæ, vitæ otiosæ, atque neglecta venæsectioni succedens, in culpa est; nunc obstrunctiones, in ipsis pulmonibus, ex humorum viscositate, aliisque qualitatis depravationibus, vel a polyposis etiam concretionibus etc. natæ, liberum sanguinis per venas regressum impediunt, et hac igitur ratione efficiunt, ut crux in vasis arteriosis moras longiores necere, eademque violenter et ultra limites naturales distendere cogatur, præsertim, si impetus non minus, quam celeritas affluxus sub motu corporis fortiori, terrore, aut habitus cutanei refrigeratione notabiliter increbat, vel rarefactio etiam, per potulenta spirituosa, iracundiam et similia inducta, superveniat; nunc denique regurgitationes, seu congestiones sanguinis hypochondriacæ, hystericæ et haemorrhoidales accusandæ veniunt. Suppositis causis allegatis, supposita etiam extraordinaria vasorum sanguiferorum in pulmonibus replectione, dyspnœæ genesis manifesta est: Siquidem autæ vasorum sanguiferorum dilatatio-

B

ne,

ne, non tantum resistentia augetur, ita ut aer, inspiratio-
nis tempore intrans, eandem nec superare penitus, nec
pulmones ideo perfecte expandere valeat; sed tantum
quoque bronchiorum et cellularum diametro decedit,
quantum vasorum sanguiferorum diametro accedit. Facile
præterea ex memoratis ratio intelligitur, cur in hac specie
vel nulla omnino tussis adsit; vel tussicula saltim, eaque
sicca saepius, quam humida, complicata inveniatur.

§. VI.

A simplici ac solitaria dyspnœa sanguinea *Dyspnœa*
sanguineo-spasmodica parum discrepat, quoniam singula, quæ
in antecedente sp̄ho adducta fuerunt, hic quoque locum in-
veniunt, et novus duntaxat atque peculiaris complicati
spasmi sensibilioris respectus habendus est: Spasmi, in-
quam, sensibilioris; certo quippe certius est, in dyspnœa
sanguinea quacunque sanguinis in pulmonibus adcumula-
tioni spasmodici quidquam junctum esse, quod tamen,
quum præsentiam suam solummodo obscure prodat, pror-
fus abesse vulgo creditur. Quicquid interea sit, in hac
specie spasmi consortium ex sensibili, et interdum satis for-
ti pulmonum, immo ambientis pectoris constrictione co-
gnoscitur, nec dubitandum proinde est, quin crux ad-
cumulationi ac spissitudini acrimonia accesserit, quæ subli-
stens inimica irritatione sua violentiorem tubulorum mi-
nutissimorum contractionem provocat, et circuli igitur li-
bertatem magis magisque sufflaminat. Tussis, quod ad-
huc monendum duco, plerumque sicca, rarius humidiuscu-
la

la est, nec singularem quoque patientibus molestiam creat,
quum lenior sit, et per longiora demum intervalla super-
veniat.

§. VII.

Propter magnam causæ materialis similitudinem,
et aliquam pariter causæ formalis analogiam, binis præce-
dentibus speciebus *Dyspnœa inflammatoria*, ex perfecta
cruoris stasi in arteriolis nascens, commode etiam jungi
posset; verum, quum illa ipsa ordinario peripnevmoniae
et pleuritidis veræ symptoma sit, seorsim hoc loco at-
que uberiori de eadem agere supersedeo, er tractationem
meam protinus ad *Dyspnœam convulsivam* tranfero, cuius
ortus neque a feirrhis pulmonum, neque plethora etc.,
uti nonnulli statuunt, sed unice a stimulis potentissimis,
quos peregrina quedam materia, tenuis ut plurimum ac val-
de penetrans, acris, caustica, et subinde plane virulenta,
vel rheumaticæ vel scorbutico-purpuratae, immo inter-
dum variolosæ, morbillosæ, arthriticæ et scabiosæ indolis,
partim secreta pridem et nervosæ atque sensibili cellula-
rum pulmonalium et bronchiorum tunicæ adhærens, par-
tim in tubulis minoribus pulmonum, diaphragmatis,
musculorum intercostalium etc. subsistens, nervoso-mem-
branaceis partibus a) imprimis, deriyandus est. Vehe-
men-

B 2

a) Consentientem hoc loco habeo B. FRIDERICVM HOFFMAN-
NYM, qui in *Med. Rational. System.* T. IV, Sect. II, Cap. 2. §. 12.
ita

mentem plerumque tussim acris hæc materia per intervalla excitat, et, largius ad pulmonum cellulas affluens, per sepe, præsertim apud senilis aetatis homines, suffocationis periculum adfert; sicuti hoc dudum LANCISIVS annotavit: „Tussis, nempe sibicit b), molesta, et suffocativa ex „acri latice, per glandulas arytænoideas, tracheæ, et bron- „chiorum affatim secreto, si magno cum impetu identidem „recurrat, mortem subitam portendit, præcipue si æger, vel „senex, vel langvidus, atque etiam in vitæ regimine fitali- „quanto liberior: apoplexia namque pulmonum, quam „suffocativum catarrhum dicunt, ab irritantium serositatum „acri

ita de hac specie differit: „Quod stricke convulsivi nomen mere- „tur asthma, et satis frequens occurrit, sit absque praesentia craf- „sæ materialis causæ, a spasmodica partium spirationi inservien- „tiū, maximeque membranarum cellulas pulmonales investien- „tiū constrictione. Dum enim tunicae nervosæ septi transversi, „dum membranaceæ muscularum intercostalium partes, dum sen- „sibiles, qua pulmonum cellulas undique cingunt, membranae „spasmo constringuntur: Arctatur thoracis spatium, coercetur „pulmonum expansio, impeditur aeris sufficiens in cellulas pul- „monales introitus, et crux per pulmones transitus, ac ex uno „in alterum cordis ventriculum circuitus mirifice retardatur, „Quum vero constrictæ pectoris regiones nervos suos mutuen- „tur a vertebralibus atque dorsalibus, qui etiam ad brachia ra- „mos mittunt; facile patet, cur totum pectus cum brachiis grave „ac tensum sit, scapulæ, dorsum, ac sternum dolore corripiantur, „atque brachia torpore, quin tandem quoque paralyfi, ob impe- „ditum a stricura liquidi nervi influxum, adficiantur.

b) Lib. I. de Subitanis mortibus Cap. 18. §. 3.

„confluxu, et articulorum pulmonum convulsione, ut cum
„Hippocrate loquamus, producitur. etc. a)

§. VIII.

Multa cum breviter explanata dyspnœa convulsiva
Dyspnœa montana, alias quoque *Peripneumonia*, *Hætica*,
Phthisis montana, *Asthma montanum*, die Bergsucht, dicta, com-
munia habet. Metallicolis, qui operam suam tum effo-
diendis, tum ustulandis ac fundendis mineris metallicis ac
semimetallicis, tum eliquandis ac separandis metallis no-
biliорibus impendunt, admodum familiaris, quin proprius

B. 3

quasi

a) THOMAS WILLISIVS, quod hoc loco adhuc subjungere necel-
sum duco, asthma convulsivum subinde etiam a nervorum octavi
paris circa originem irritatione, adeoque consensualiter, produci
posse credidit, suamque mentem in *Pharmacœut. rat.* P. 2. cap. 12.
p. 126. sequentibus exposuit: „Asthmati convulsi cauſam non
„nunquam in occipite juxta nervorum origines confiſtere, per
„obſervaciones Anatomicas plane deteximus. Nimirum adverti,
„quosdam Ægrotantes, qui cum ab aliis morbis deploratis de-
„decumbentes, inſimil Asthmatici fierent, neceſſum habuerunt, in-
„tra lectum aut cathedram cum capite ſemper eretto, aut prono de-
„tineri; reclinati autem, aut ſupinati, ſtatiſ anheli ac velut mo-
„ribundi, diſſicillime respirabant; cuius cauſa (prout per diſſe-
„tioneſ apparuit poſtquam obierunt) tantum erat, quod cum iux-
„ta cerebri cavitates feri acris colluvies ingens aggereretur, &
„ob caput reclinatum, illa in nervorum octavi paris originem re-
„ſideret, illico præcordia, ac in primis spirabilia ſpasmis horren-
„dis tentabantur. Porro interdum ob hanc rationem videtur ef-
„ſe, quod Orthopnoici in lecto absque ſuffocationis periculo de-
„cumbere nequeunt, quin corpore eretto, ſedere coguntur, etc.

quasi morbus est, et in fodiis natales suos maxime fulphureis et arsenicalibus, in magnis casis fusoriis autem tam arsenicalibus, quam saturninis halitibus ac fumis debet. Nam, dum ingens v. g. plumbi moles in cinerito magno violenta ignis actione sensim in lithargyrum, et hoc deinde, quoad partem, in halitus fumosve, qui, denissimis secedentes agminibus, totum casæ fusoriae aerem replent, convertitur, aliter sanefieri nequit, quin halitus memorati, una cum arsenicalibus, sub quacunque inspiratione, bronchia et cellulas pulmonum copiosissime ingrediantur, ibidemque ob ponderositatem suam relixi, tunicae nervoso-membranaceæ adhærent, et continua ac vehementi fibrarum constrictione, quam causticæ particulæ arsenicales morsificatione sua intendunt, non aeris tantum, sed crux quoque mæandros angustiores reddant, et hac ratione rebellem dyspnœam, tussi sicca stipatam, provocent: Ut nihil de nociva actione dicam, quam, cum saliva deglutiti, in ventriculum, intestina, aliasque partes, quibus sub translatione sua adplicantur, excent, quæque vario postmodum modo, per nervos, membranas ac vasorum, diaphragmati, pectori et ipsis pulmonibus communicatur, et liberæ ac regularis respirationis obstacula magnopere auget.

§. IX.

Silentio cæteroquin minime hoc loco præterire possum, rudiores ac comparative crassiores plumbi et lithargyrii moleculas, per se consideratas, insipidas, nec ulli proflus

prorsus stypticitate sensibili donatas reperiri, sed hanc tum
deum nancisci, quando, arctius aut laxius cum acido quo-
dam connubium subeuntes, in sic dictum sacharum saturni
commutantur. In prima culina quidem transformatio haec,
ob perennem acidi praesentiam, facile accedit; quod in cel-
lulis autem cæterisque pulmonum ductibus, ubi apud ho-
mines sanos rarissime vel nunquam acidum seceruntur, fie-
ri possit, vix, aut ne vix, credibile videtur, et quibusdam
itaque dubium subnatum fuit, an praedicta fumarum plum-
beorum nociva actio violenta in pulmonibus constrictione
nitatur: Attamen probe hic perpendendum esse arbitror,
in casis fusoriis, praeter halitus fumosve arsenicales et sa-
turninos, copiosissimos quoque acidos, ex combusto sul-
phure minerali, quo mineræ quamplurimæ scatent, evo-
lutos, in aerem adsurgere, et circumvolitantibus corpus-
culis saturninis passim adhaerentes, naturam illis sachari
saturni quodammodo conciliare. Et posito etiam, memo-
ratam particularum circumvagantium transformationem in
aere minime contingere, firma tamen conclusio, pro meo
judicio, a crassioribus fixisque plumbi et lithargyrii mole-
culis ad halitus fumosve haudquaquam formari poterit,
quum ignis violentus pristinam particularum formam ac in-
dolem valde mutare, et plane novam illis inducere va-
leat. Ultima haec conjectura non penitus quoque desti-
tuitur probabilitate: Plumbi enim fumi, oris cavitatem cum
aere largius ingressi, et salivæ mixti, gustus organo, sicuti
testantur experti, saporem dulcem ac nauseosum, instar sa-
chari saturni, imprimunt. Hisce accedit, quod docimastæ,
sub

sub cupellatione puros duntaxat plumbi destructi fumos ore suo incaute excipientes , similem interdum , quanquam leviorem , pulmoñum conſtrictionem experiantur . Nonnulli etiam ſigulos , qui аſthmate hujus censuſ creberrime corripiuntur , probandi fine allegant , at memet in hac parte ab illis diſſentire non diſſiteor , quoniam ſiguli , vafa ſiſtilia vitrea crufa obduſturi , ſolum nequaquam ſiccumque lithargyrii pulverem , ſed potius , quantum mihi quidem conſtat , ſolutionem lithargyrii , cum aceto paratam , adhībent , nec puros itaque lithargyrii fumos , ſed halituſas ſachari saturni moleculas cum aere attrahunt .

§. X.

Scriptores medici in libris suis pathologicis adhuc alterius cujusdam аſthmatis mentionem faciunt , quod alii pariter *Montanum* , alijs , et quidem longe aptius , *Calculoſum* vocant . Ex resiliente enim ac volitante ſubtili , аſpero-que faxorum pulvere , quem lapicidæ , ſtaturi , latomi etc. identidem cum aere hauriunt , naſcitur , et reſraſtariam in primis indolem conſequitur , quando arenosæ attraſti pulveris moleculæ cum muco tenaci in pulmonum cellulis combinantur , et paulatina maſſæ induratione veros diverſæ magnitudinis calculos formant . „Non contemnendi quoque , BERNARDINVS RAMAZZINVS ſcribit a) , ſunt morboſi affectus , quibus Lapicidæ , ſtaturi , Latomi , ac id genus Operarii , conſiſtari ſolent . Dumenim in

a) In Diatriba de Morbis artificum Cap. 24.

„in subterraneis marmora e rupe discidunt, secant, scal-
„pris incidunt, ut statuae et alia Opera effingantur, ra-
„menta aspera, aculeata, angulosa, quæ resiliunt, in-
„spirando persæpe hauriunt, unde a tussi infestari solent,
„ac ex iis nonnulli asthmaticas passiones contrahunt, ac
„tabidi fiunt. - - - Satis curiosum est id, quod refert
„Diemerbræckius de variis Lapidis ex Asthmate mor-
„tuis, quorum corpora, ait, se dissecuisse, atque in illo-
„rum Pulmonibus arenæ acervos repperisse, ut dum pul-
„monares vesiculas cultro discinderet, sibi videretur are-
„nosum corpus secare; ibidem quoque refert, a Magistro
„lapicida sibi relatum, quod dum lapides incideret, tam
„subtilis pulvis assurget, ut bubulas vesicas in Officina
„pendentes permearet, adeo, ut unius anni curriculo, in
„ventre vesicæ manipulum unum illius pulveris repererit,
„quem pulverem illum esse ajebat, qui Lapicidas parum
„cautos ad interitum paullatim deduceret etc.

§. XI.

Ex prædicta pulveris calculosi subtilitate et singulari-
prosus penetrandi facultate facillime licet conjicere, mul-
tas ejusdem particulas ex bronchiis ac cellulis pulmonali-
bus per vascula bibula ipsos tubulos fero - lymphaticos
et sangviferos ingredi, ibidemque cum viscidioribus lym-
phæ ac sangvinis partibus concrecentes, prima novi rur-
sus nominis dyspnoæ, quam vulgo *Asthma scirrhosum*
vocant, fundamenta sternere, immo, si novæ molecu-
læ sese identidem primis jungant nucleis sive staminibus,

C

gran-

grandiora sensim atque durissima producere tubercula. Asthma hoc, sive ex caussa vix memorata, sive ex croris abundantia ac spissitudine, sive ab aliis humorum vitiis ortum fuerit, siccum ordinario atque creberrimam tussim pedissequam habet, et adeo refractarium existit, ut, indu-ratis pridem tuberculis, nullum amplius auxilium sperandum sit; hinc maxime etiam hanc speciem adesse suspicamus, quando, prægressis aptis causis occasionalibus, respirationem anxiā, tussi sicca, sensuque ponderis in pectori, et obscuro dolore, ante ac retro fiente, stipatam, nec phlebotomia iterata, nec laxantia, nec resolventia, nec antispasmodica, nec reliqua consueta dyspnœæ remedia minuant.

§. XII.

Haud minorem, quam haec tenus expositæ species, considerationem *Dyspnœa oedematoſa*, et *Dyspnœa ulcerofa* merentur. *Dyspnœa oedematoſa* sive cacheœtica cerebro supervenit, quando tumores artuum, præsertim pedum, oedematosi subito evanescunt, et retrorpulsa aut sponte regressa materia crassa, vappida, seroſo-mucida, vel etiam falino-pituitosa scorbutica ad pectoris regionem magna copia transfertur, et arteriæ pulmonalis ramulos tantopere replet, obſtruit, atque distendit, ut non ſolum ſangvini circulantib[us] ſolitæ viæ plus minusve præcludantur, ſed aer quoque, propter maximam bronchiorum minorum, cellularumque compressionem, et ingentem inſimul turgidorum vaſorum ſangviferorum reſiſtentiam, pulmones

mones libere amplius atque sufficienti quantitate intrare nequeat. Spirandi itaque difficultati maxima ordinario anxietas jungitur, et prior intra breve tempus, nisi præ materiæ obstruentis discussio per congrua et adæquata medicamina citissime procuretur, ita increscit, ut patiens suffocatus pereat.

§. XIII.

Altera species, quam *Ulcerosam* appellavi, duplicitis generis deprehenditur: Nunc enim ab ulcere pulmonum aperto, partem aliam post aliam depascente, oritur, ac merum itaque phthisis ac hecticæ symptoma est, nunc vero ab uno vel pluribus ulceribus clausis, quæ *Vomicae* audiunt, dependet. Ulceris aperti præsentia ex corrupta ac foetida materia, copiose atque creberrime per tussim rejecta, facilime cognoscitur; quod vomicas vero attinet, illa diu interdum absconditæ latent, et medicorum judicia, quæ in ejusmodi casu de principali diffcilis respirationis causa ferunt, eo usque incerta reliquunt, donec folliculi membranacei, fortuito rupti, haætenus inclusam materiam ulcerosam subito, ac sepe cum maximo suffocationis periculo, in cellulas pulmonales, bronchia, et asperam arteriam effundant a). Similis incertitudo circa veræ

C 2

causæ

a) **GEORGIVS BACLIUVVS**, diagnosin vomicae seu crudi pulmonum tuberculi maneam valde, incertamque esse, cum reliquis quidem scriptoribus fatetur, deinde nihilominus nonnulla addit, quæ scrutantibus practicis lucem aliquam scenerari poterunt: „Nullips, inquir, membra affectiones tam obscuris ad invicem „cora-

causæ determinationem occurrit, quando *Pulmonum lobi*, sicuti sectio, post obitum asthmaticorum instituta, creberri-
me monstrat, pleuræ plurimis in locis firmiter *accreverunt*, vel *Hydatides* etiam, passim in cellulosa pulmonum sub-
stantia enatae, respirationis libertati ac regularitati obicem
ponunt. Nam, licet subinde quidem limpidus ac valde
acris liquor serosus ex rupta ejusmodi vesica in cellulas
pulmonares et bronchia effluat, et tussim suffocativam ve-
hementi irritatione repente excitet, in clara tamen luce,
nisi effusi forsan laticis quantitas magna sit, positum est, an
ex rupta effluxerit hydatide, an ex pluribus potius glan-
dulis, uti in antecedentibus sub asthmatis convulsivi tra-
statione dictum fuit, eodem tempore largius excretus
fuerit.

§. XIV.

„confunduntur signis, quam morbi pulmonum, unde saepissime
„unum pro alio curare solent ignari Practicantes; præ ceteris
„magnam errandi occasionem præbet tuberculum pulmonum --.
„Veruntamen, quantum nos observare potuimus, inter constan-
„tiora signa hæc potissimum recensenda. Tales ægrotantes de
„cætero bene se habentes, difficulter spirare incipiunt, diffici-
„lis spiratio sensim augetur, inter spirandum non stertunt, et
„nihil expuunt, dolorem quoque in pectori sentiunt continuum
„et dolentem; in locum decumbere non possunt; siccæ tussi
„laborant, tandem genæ rubent, febricula supervenit; et nego-
„tio ad suppurationem vergente, alia supurationis symptomata
„accidunt. Duo tamen tanquam pathognomonica crudi et ad-
„huc incipientis tuberculi signa sunt, tussis siccæ, et dolor lenis
„in alterutro pectoris loco, cui arridet illud divini senis rex. 63.
„lib. 1. de morbis; Et quamdiu quidem tuberculum adhuc cru-
„dius fuerit, dolorem exilem ac tussim sicciam inducit, etc. In
„Oper. p. 198.

§. XIV.

Postquam potiores difficilis respirationis causæ, quæ unice vel maximam tamen partem in ipsis pulmonibus hærent, et immediata igitur actione sufficientem liberamque pulmonum expansionem et contractionem reciprocam magis minusve impediunt, citra prolixitatem explanatæ fuerunt, necesse nunc erit, ut illas pariter, quæ in reliquo respirationis organis, aliisque partibus, tam vicinis, quam remotioribus, sedem primariam figunt, vel in graviori etiam aut leviori quarundam læsione consistunt, ea, qua fieri poterit, brevitate, recensemam. Eminent inter hasce *Polypi cardis*, *Hydrops pectoris*, *Gravior læsio dia-phragmatis*, *Tumor hepatis*, et *Flatus ventriculo et intesti-nis incarcerati*. Concrementa polyposa multo facilius quidem atque frequentius in dextro cordis ventriculo, quam sinistro, generantur, ad suffocativam nihilominus dyspnœam producendam polypus, in sinistro ventriculo natus, longe aptior est, quoniam sanguinis, per arteriam pulmo-nalem adducti, regressum per venas magnopere impedit, et constanti igitur in pulmonibus sanguinis accumulationi præternaturali ansam præbet; hinc sub decubitu etiam, sub motu corporis, præsertim fortiori ac celeriori, sub terrore, iracundia, gudio effusori aut inopinato, post hausta potulenta spirituosa, et adsumta medicamenta ex-agitantia etc. hæc dispnœa notabilia, quin tanta haud raro incrementa capit, ut repente suffocationem inducat. Dia-gностica cæteroquin ejus signa, quibus vulgo palpitationis cordis, pulsus saepius intermittens, et frequens animi de-

C 3

liquum

liquum accensentur, incerta paullulum atque fallacia sunt,
quum gravior hydrops pericardii eadem symptomata ple-
rumque etiam comites habeat.

§. XV.

Hydrops pectoris, cuius præsentiam aquarum, in pe-
store fluctuatio, sub corporis inclinatione ad latera ma-
xime notabilis, nec minus tumor manuum ac pedum œde-
matosus, tremor cordis, tussis, nunc sicca, nunc, quanquam
rarius, humida mere aquosa, torpor magnus et subinde
plane paralyticus brachiorum, et febricula lentescens ir-
regularis detegunt, dupli modo, pulmonum videlicet
expansionem, et diaphragmatis adscensum impediendo,
respirationis difficultatem producit, et plerumque præ-
gressi asthmatis convulsivi consectorium est; sicuti hoc su-
pra laudatus F R I D . H O F F M A N N V S , cuius verba pro-
inde hoc transferre nullus dubito, clare monstravit: „Ex-
„timam, nempe inquit a), pulmonum tunicam copiosissimis
„vasis lymphaticis refertam esse, eleganter describit ac de-
„lineat Clarissimus N V K I V S in adenogr. curios. p. 141.
„Hæcce vasa non minus, quam reliqua lymphatica, pe-
„tus multis in locis obſidentia, revehunt laticem suum ad
„ductum thoracicum, ut ex hoc per venam subclaviam at-
„que cavam ad dextrum cordis feratur ventriculum, Quan-
„do vero huic lymphæ itineri obex ponitur, ut ad ductum
„illum pertingere nequeat, vasa lymphatica nimium in-
„farciuntur, tandemque ultra sphærā elasticitatis disten-
„ta,

a) L. c. §. 19.

„ea, rumpuntur, iaticemque in cavum effundunt pectoris. Quum igitur spasmodicæ partium, spirationi dicaturum, maximeque pulmonum strictræ, quæ asthma convulsivum producunt, cohibeant ac remoren tur lymphæ ad ductum thoracicum iter: facile patet, qua ratione tandem hydropem pectoris pariant. etc.

§. XVI.

Septi transversi læsiones ad inflammationem, vulnera, tendineæ in primis parti punctum inflicta, et fugillationes, a plagiis scrobiculi cordis fortioribus excitatas, maxime redeunt, et ita in genere comparatae sunt, ut vehementer fibrarum strictram provocent, eaque mediante necessariam hujus septi sub inspiratione explanationem cohibeant. Propriis hisce diaphragmatis vitiis subjacentis et parti illius tendineæ arcte adnati hepatis intumescientia extraordinaria protinus subjungi meretur; Siquidem facile patet, quod hac præsente septum laudatum, ob spatii deficitum, auctumque hepatis pondus, nec sursum, nec deorsum libere atque sufficienter moveri possit. Haud diffimilia quoque impedimenta circa diaphragmatis descendens et explanationem observamus, quando ventriculus a flatibus copiosis ac plus minusve incarceratis valde distenta sunt, immo, idem apud ægros, hydrope ascite, aut tympanite laborantes, contingere, notissimum est. Perinde enim exillis, an aquæ extravasatae moles, an ventriculus et intestina inflata, an hepar tumidum descensuro dia-

phrag-

phragmati insolita resistentia sua arctiores limites ponant,
et haec igitur ratione inspirationem imperfectam reddant.

§. XVII.

Numerosis ac valde discrepantibus dyspnœæ caussis,
quas hactenus recensui, ulterius quidem *Inflammationem*
ac *Vulnera musculorum intercostalium*, *Fracturas costarum*,
Depressionem pectoris, *Distorctionem vertebrarum*, et *Spinæ*
dorsalis incurvationem, *Ascitem abdominis*, *Tympanitem*, nec
minus *Defectum* atque *Suppressionem fluxus menstrui*, *lochia-*
lis et *hæmorrhoidalis*, itemque *Passionem hysterica* et *hy-*
pochondriacam addo, a speciali tamen atque prolixa eorum
contemplatione, ne tractatio ætiologica nimis longa si-
mulque trædiosa fiat, abstineo, et nunc ad breviter quo-
que tradendam variantem variantis dyspnœæ medelam
transeo. Sequar eundem ordinem, quem in antecedentib-
us sub caussarum expositione observavi, et illa igitur
remedia, quæ dispnœæ pituitosæ opitulantur, primum
enarrabo. Maximam partem haec ipsa ex *Resolventium*,
Lubricantium, *Catharticorum*, ac *Roboranum* classibus de-
sumuntur: Ad resolventia, quæ in hac specie præ reli-
quis necessaria inveniuntur, multa ac varia referri possunt,
et quidem 1) *Incidentia salina mediae naturæ*, v. g. flores
salis ammoniaci simplices, tartarus solubilis, terra foliata
tartari, nitrum depuratum etc.; 2) *Aeria irritantia*, v. g.
radix ari, pimpinellæ albæ, raphani, scillæ, iridis Floren-
tinæ, nafturium hortense et aquaticum, cardamindum,
semen sinapi, tintura pimpinellæ albæ, oxymeli et oxy-
facharum.

sacharum scilliticum, mercurius dulcis rite præparatus, tintura metallorum, et antimonii acris, nec minus rad. mechoacannæ albæ, jalappæ, aliaque purgantia, dosi refracta reliquis addita etc.; 3) *Amara, Balsamica, et Aromaticæ abſtergentia, digerentia, diſcutientia*, v. g. rad. trifolii fibrini, enulæ, angelicæ, levisticæ, herb. scordii, cardui benedicti, trifolii fibrini, hyssopi, melissæ citr., hederae terrestris marrubii albi, flor. rosmarini, salviæ, lign. sassafras, Gvajacum, baccæ juniperi, sem. anisi, fœniculi, anisum stellatum, crocus orientalis, flavedo cort. citri et aurantiorum, myrrha genuina, gummi ammoniacum depuratum, balsamus Peruvianus, extracta et tinturae scordii, trifolii fibrini, melissæ, angelicæ, tint. gummi ammoniaci, benzoes, flores benzoini, olea destillata fœniculi, anisi, juniperi etc.; 4) *Spirituosa urinoſo-oleoſo-inflammabilia diſcutientia*, v.g. spiritus salis ammoniaci anifatus, fœniculatus, juniperinus etc.

§. XVIII.

Laudatis attenuantibus addenda, vel eorum tamen usui interponenda sunt *Lubricantia*, quæ expectorationem adjuvant, nec minus *Roborantia*, quæ partibus solidis, maxime autem pulmonibus et ventriculo, robur amissum denuo reddunt. Ad lubricantia, præter infusa theiformia, ex radice glycyrrhizæ, polypodii, scorzonerae, hb. veronicae, betonicae, melissæ etc. parata, linctus et electuaria ex syrupo de jujubis, de hyssopo, de erysimo Lobelii, cort. citri, aurantior. etc., quibus varia ex prædictis resol-

D

venti-

ventibus misceri possunt, præcipue pertinent: Quod roborantia vero attinet, de illis seorsim hoc loco agere superseedeo, quoniam antea allegata amara, balsamica et aromatica non attenuandi solum, sed confortandi etiam munere perfunguntur. Circum dulcium lubricantium, et tepidorum diluentium usum adhuc tantummodo notandum erit, eum nec copiosum, nec justo quoque frequentiorem esse debere, ne priora digestionem corruptant, posteriora autem, emolliendo nimiumque fibras relaxando, tonum partium solidarum magis successive magisque dejecliant.

§. XIX.

Quanquam recensita resolventia, roborantia, et lubricantia multum ad curandam dyspnœam pituitosam valent, nunquam tamen radicalis atque perfecta ejusdem sublatio speranda erit, nisi frequens usus *Laxantium* sive *leniorum catharticorum* accedat: Quippe quæ somitem, plerumque in prima culina latentem, subtrahunt, affluxum impuritatum mucidarum a pectore ad inferiora derivant, et magnam paullatim earum copiam, per glandulas intestinales excretam, educunt. Locum quidem singula, quæ mihiorem operationem exercent, hic inveniunt, præ reliquis nihilo minus rhubarbarum, sal Ebshamense, sal amarum Sedlizense, et mercurius dulcis commendanda erunt, quoniam rhubarbarum, præsertim in substantia adsumptum, simul egregie roborat, reliqua autem, præter vires laxantes, validam quoque incidendi virtutem possident. Subinde, quod adhuc moneri debet, *Emetica* præstantius auxilium, quam cathar-

cathartica ferunt, quoniam mucidam faburram, largius in ventriculo hospitantem, citius atque validius exturbant, simulque pituitæ tenacissimæ, bronchia et cellulas pulmonum obsidentis, ejectionem egregie adjuvant: Immo, apud subiecta nonnulla circumstantiæ ita prorsus comparatae inveniuntur, ut absque emeticî usu malum funditus extirpari nequeat.

§. XX.

Inter pituitosæ denique dyspnœæ remedia *Suffimigia balsamica* ex succino, mastiche, olibano, gummi elemi, anime, lacca et similibus silentio haud quaquam prætermitenda sunt, quum rationi non minus, quam experientiæ consentaneum sit, quod halitus ejusmodi, pulmones cum aere intrantes, haud parum ad emendandam fibrarum flacciditatem, quæ in hac specie, præsertim inveterata, ordinario eminentior reperitur, conferant. Non raro aeris mutatio quoque conductit, quin summe interdum necelfaria existit, quando ægri asthmatici regiones, urbes, ac pagos incolunt, ubi propter frequens ventorum vitium, vel stagnorum, paludum, aut maris viciniam, aer constanter humidus, aut creberrime tamen nebulosus ac pluviosus est.

§. XXI.

Curatio dyspnœæ *sanguinæ* et *sanguineo-sputmodicæ* a præcedentis curatione, tum methodi, tum remediorum intuitu, valde discrepat. Cathartica enim, nec minus resolventia ac roborantia calidiora in hac specie superflua, vel rectius nociva deprehenduntur, totumque potius au-

xilium in idiopathica à venæseptione in pede et pharmatis temperantibus, in consensuali uterina autem, hæmorrhoidalii, hypochondriaca etc. ab hisce et clysteribus emollientibus, pedituviis, infessibus uterinis, et balneis vaporosis, aliquæ compescendis cruxis congestionibus inserviunt, exspectandum est. Priora remedia, venæseptio nimirum et temperantia, in dyspnœa inflammatoria quoque conducunt, temperantibus tamen, ut cruxis stasis citius dissolvatur, diaphoretica addenda, et diluentia simul ac demulcentia in usum trahenda sunt.

§. XXII.

Plus medentibus negotii truculenta dyspnœa convulsiva, a retrogressa in primis, aut retropulsa materia exanthematica, scorbutica, scabiosa, arthritica etc. oriunda, ut plurimum facessere confuevit, omnemque interdum curationem respuit, nisi præter nervina atque diaphoretica leniora, ut et demulcentia, obtundentia ac diluentia, potentiora quoque expellentia exhibeantur, cuius census v. g. sunt camphora, cum nitro et absorbente quodam in pulverem, vel etiam cum oleo amygdalarum dulcium et spermate ceti in linctum redacta, itemque sulphur antimonii auratum tertiae præcipitationis, potiunculis aut pulveribus additum, spiritus bezoardicus Bussii, cum liquore anodyno minerali mixtus, oleum cajeput, vel per se ad unam vel duas guttas cum sachari frustulo exhibitum, vel in liquore anodyno minerali aut spiritu nitri dulci solutum, asa foetida, præsertim recentior etc. Non negligendum quo-

quoque est, paullulum imprimis sopita constrictio insolentia, usus laxantium et diureticorum, ut acres quisquiliæ eo melius a pectori avocentur, et per plura excretio-
nis organa largius educantur. Inter laxantia præ reliquis
infusa mannata et rhabarbarina, inter diuretica autem tin-
stuta tartari, metallorum, et antimonii acris commendanda
veniunt; præstat tamen hisce et præcedentibus nervinis
expellentia mitiora nervina et diaphoretica, v. g. poti-
unculas ex aqua melissæ, foeniculi, flor. acacie, tiliæ, pri-
mulae veris, fambuci, chærefolii, fuccino præparato, pul-
vere cort. cascarillæ, croci orientalis etc., ut et infusa thei-
formia ex rad. angelicæ, hb. scordii, betonicæ, chamædry-
os, flor. salviæ, anthos, flavedine cort. citri, sem. foeniculi,
aniso stellato etc. interponere, quo blanda pariter ac paul-
latina diuresi ac diaphoresi partes acres e corpore proscri-
bantur.

§. XXIII.

Cura dyspnœæ montanae cum vix descripta dyspnœæ
convulsivæ medela quoad multa convenit, quoad nonnulla
autem ab illa recedit. Itidem nimirum in ea blanda ner-
vina, leniora diaphoretica, et adhuc magis, immo maxi-
me, demulcentia et obtundentia gelatinosa, mucilaginea,
ungvinoso - oleosa, et pingvia, v. g. juscula avenacea et
carnium gelatinoso - pingvia, lac recens, decocta ex hordeo
et avena decorticatis, oryza, rad. scorzoneræ, taraxici, al-
theæ, pineolis et pistaciis recentioribus rasura cornu cer-
vi, eboris etc., emulsiones ex amygdalis dulcibus, sem. can-
abis

D 3

nabis

nabis, et aquis tam refrigerantibus, quam diapnoicis, itemque linctus et electuaria ex oleo amygdalarum dulcium recentissimo, spermate ceti, et rhabarbaro orientali etc. opem egregiam ferunt, fortiora ex adverso discutientia et pellentia rarius locum inveniunt, sed alcalia potius remedia, cinctura tartari v. g., oleum tartari per deliquium, spiritus cornu cervi et similia, nec minus specifica, quibus morsuli restaurantes sive antimoniales KVNCLEII præcipue accensentur, iisdem substituuntur. Circa alcalia fixa tamen monere cogor, illa reliquis parca saltem quantitate addenda, nec diu quoque usum eorundem continuandum esse, ne, acido extinto, nocumenta afferant; quemadmodum singula hæc fusius atque solidius explicare possem, ac vellem, si in præsente dissertatione unica hæc difficilis respirationis species totum tractationis objectum constitueret.

§. XXIV.

Dyspnœæ *calculosaæ* remedia, quæ ad sola lubricantia dulcia et pinguis oleosa redeunt, prolixè hoc loco expōnere supersedeo, et confessim potius ad breviter tradendam asthmatis *scirrhosi* curationem progredior, quæ, licet scirrhis jam induratis rarissime vel nunquam optatum successum sortiatur, ad minimum tamen tentanda, et ita semper dirigenda est, ut cruda tuberculæ, si adhuc possibile, rursus dissolvantur. Ad obtinendam hanc indicationem vulgo a scriptoribus, præter, infusa theiformia ex radice *arsaparillæ*, *ari*, *helenii*, *vincetoxici*, *pimpinellæ albæ*, *hb.*
zidae *hedæ-*

hederæ terrestris, veronicæ, hyssopi, rorismarini, fumariæ, ligno Gvajaco, sassafras etc., resolventia potentiora, aliaque, quæ specificorum titulo superbiunt, v. g. radix vinctoxici, ad scrupulum semissem aut grana quindecim, vel sola vel cum uno aut duobus scillæ granis mixta, et sub pulveris forma exhibita, itemque acetum et oxymeli scilliticum, tintæra antimonii tartarisata et acris, tintæra metallorum, essentiæ gummi ammoniaci nupta, millepedes præparati, mercurius dulcis, sulphur antimonii auratum, et aquæ minerales soteriæ Egranæ, Schwalbacenses, Spadanæ etc. commendantur, eorundemque usui, ut ulterior impuritatum ad pulmones affluxus avertatur, laxantia ex rhabarbaro, manna, solis sennæ, sale Ebshamensi, Sedlizeni etc. interponuntur, immo apud plethoricos ipsa nonnunquam venæfætio administratur. Approbo singula hæc remedia, quæ tuberculis dissolvendis, si adhuc molliuscula existant, apta omnino inveniuntur; at simul doleo, quod hujus mali primordia rarissime medicis innotescant, adeoque medicaminum effectus rarissime pariter, uti antea dictum, voto ac spei respondeat.

§. XXV.

Difficultates, prædictis longe adhuc majores, circa curationis successum deprehendimus, quando dyspnoea *vomitæ* uni vel pluribus ortum debet. Nulla enim pharma-
ca materiam ulcerosam, folliculis membranaceis inclusam, auferre, nec ulla etiam ipsos folliculos certo ac tuto ad
ruptu-

rupturam perducere valent, sed totum negotium naturæ relinquendum est, etiamsi et hæc parum vel nihil in hoc passu auxiliū præstare possit, nisi folliculus aut folliculi plures sub gravi animi adfectu, terrore v. g., iracundia et gaudio inopinato, vel sub tussi etiam vehementi, aut forti corporis exercitio fortuito rumpantur, suamque materiam in cellulas pulmonum et bronchia, vel subinde quoque, si sedem scilicet, pulmonum superficie proximam, habuerint, in pectoris cavitatem, ubi empyema, nisi resorbeatur, provocat, effundant. Alteram dyspnœam *ulcerosam*, quæ ulceris aperti consectorium, adeoque ordinarium phthisis pulmonalis symptoma est, hoc loco prætermitto, nec fusius etiam de respiratione difficiili, a *loborum pulmonalium accretione ad pleuram*, vel *hydatidibus* pendente, differere placet, quoniam prior nullis tolli potest remediis, posterior autem sola laxantia et discussoria diaphoretica ad sui curationem postulat.

§. XXVI.

Ad profligandam dyspnœam *oedematosam* sive cacheiticam multa quidem ac varia commendantur, generatim tamen ad laxantium, discussorium ac roborantium classes redigi possunt. Inter laxantia et cathartica rhabarbarum, sal amarum Sedlizense, et extractum catholicum atque pan-chymagogum Crollii, in liquore terræ foliatæ tartari vinoso solutum, locum eminentiorem obtinent, ad discussoria vero, resolventia, irritantia, et roborantia præ reliquis radix ari præparata, ell. pimpinellæ albæ, cum tinctura martis

martis helleborata mixta, succus raphani, scilla, cum nitro et radice vincetoxici in pulvere data, oxymeli scilliticum simplex et compositum, liquor cornu cervi succinatus, spiritus bezoardicus Bussii, oleum cajeput, tintura antimonii tartarisata et acris, tintura metallorum, regulus antimonii medicinalis, sulphur antimonii auratum, et infusa vinosa ex rad. enulæ, imperatoriaæ, pimpinellæ albæ, cardamomo minori, canella alba, baccis juniperi etc. referri merentur. Potentioribus hisce ejusdem naturæ mitiora vel addi vel interponi debent, nec clysmata etiam, immo, si materia œdematosæ a pedibus versus pulmones retroacta fuerit, fomentationes et frictiones pedum negligenda erunt.

§. XXVII.


Curationi dyspnœæ œdematosæ nunc specialis pariter ac diuersissima medendi methodus, quam numerosæ species reliquæ, sub ætiologiæ expositione §. XIV. et XVII. allegatæ, postulant, subjungenda esset: Verum enim vero, cum earum quamplurimæ mera aliorum morborum symptomata sint, et nonnullarum quoque cauſæ solis remediosis chirurgicis tolli aut saltim mitigari soleant, amplissimæ simulque admodum varianti huic tractationi, ne dissertatio justos transgrediatur limites, et contra scopus in spissi voluminis molem excrescat, me immergere nolo, sed adhuc illa duntaxat respirationis vitia, quæ flabitibus acrioribus, in ventriculo et intestinis adcumulatis et incarceratis, nec minus pectoris hydropi, et polyposis in corde concrementis originem debent, paucis attin-

E

gam.

gam. Dyspnœa flatulenta, quæ apud subjecta hypochondriaca, aliaque debilia frequentissime occurrit, facile tollitur, aut notabiliter tamen minuitur, quando, congrua simul observata diæta, medicamenta antispasmodica et digestientia carminativa, v. g. liquor anodynus mineralis, aut præstantior adhuc spiritus nitri dulcis, cum essentia melissæ, florum chamomillæ Rom., cort. citri, aurantium etc. mixtus, et hujus censu alia, nec minus, ad mineram flatulentam eliminandam, rursusque confortanda digestionis organa, tum laxantia leniora, præsertim rhabarbarina, tum amara, et aromatica stomachalia, quin externa etiam roborantia, ut linimenta et emplastra, abdomini adplicanda, in usum trahuntur. Quod binas posteriores vero species, quæ cordis nimirum polypos, et pectoris hydropem causas agnoscunt primarias, attinet, illæ tam refractariæ indolis sunt, ut plerumque ægrotantium non minus, quam medicorum spem penitus eludant. Nam licet pectoris hydrops nonnunquam, exhibitis scilicet catharticis atque diureticis, tam mitioribus, quam potentioribus, et adhuc certius, paracenthesi thoracis instituta, iterum discedere soleat, cordis tamen polypi, perfecte jam formati, nullis unquam remedii dissolvuntur, sed quicquid auxiliū restat, ad aliquam pravorum effectuum mitigationem, cui procurandæ diæta temperata et non nihil refrigerans, itemque phlebotomia, in pede frequenter administrata, nec minus temperantia nitroſa præcipue inserviunt, unice reddit.

T A N T V M .



Unsonst verehrt man deine Blicke,
Du nur im Wechsel standhaft Glücke,
Man kennt die schmeichelnde Gefahr:
Man weiß, wie der so schwankend sitzt,
Der sich auf deine Hoheit stützet;
Ein Croesus leget dort des Sakes Wahreheit dar.

Kein Flor erhebt die weiten Staaten,
Kein Ruhm verewigt unsre Thaten,
Wo ehre als das Triebwerk fehlt;
Die ifts, die uns ihr Kleinod stecket:
Um sie wird unser Fleis erwecket,
Sie macht, daß man uns einst mit grossen Geistern zählt.

Ein Held wagt sich durch Blut und Waffen,
Um Siegesbogen zu verschaffen
Scheut er die blutigen Schwertter nie;
Die Ehre flamt sein kühnes Schwingen;
Und Musen reiht zu edlen Dingen
Nichts, als daß einst ihr Haar mit frohen Lorbeer blüh,

Gehra

Geehrter Freund, Dein ißig Glücke
Verlacht die Gunst, entehrt die Tücke,
Womit Fortuna blend und dräut;
Erhöht von Trieben wahrer Ehren
Nahmst Du die Weisheit Dich zu lehren,
Die nunmehr Deinem Fleiß die höchste Würde weist!

Hier hast Du nun des Seegens Proben,
Den Dir Hygea aufgehoben,
Und Deine Mühe wird gekrönt.
Sey glücklich im beherztem Steigen,
So wird bey Deinen Ehrenzweigen
Auch selbst der Neid beschämmt, der oft den Purpur höhnt.

Hiermit wollte zur erhaltenen Doctorwürde
Glück wünschen

Carl Wilhelm Garthausen
Med. Stud.



01 A 6513




SC


VD 18.

VDM





B.I.G.



DISSE^TATI^O IN AVGVRALIS MEDICA

DE

DIVERSISSIMA DYSPO^NOEAE
ORIGINE ET CVRATIONE

Q V A M

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

IOH FRIDERICO CARTH^EV^SER

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. h. t. FAC. MED. DECANO

PRO GRAD^V DOCTORIS

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVSET PRIVILEGIIS

RITE CAPESSENDIS

DIE NOVEMBRIS MDCCCLIII.


H. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

S V B M I T T E T

FRANCISCVS AB HEYN,

LEOVALLENSIS SILESIVS.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,
ACAD. REG. TYPOGR.

